



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

IV. De vniuersis tenentibus de ecclesia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## II.

Ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ pax Dei & sanctæ ecclesiæ per omne regnum. Similiter a septuagesima vsque ad octauas paschæ. Item ab ascensione Domini vsque ad octauas pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbatis ab hora nona, & tota die sequenti, vsque ad diem Lunæ. Item vigiliis sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, sancti Ioannis Baptistæ, apostolorum omnium, & sanctorum, quorum solennitates a sacerdotibus dominicis annuntiantur diebus, & omnium sanctorum in Kalendis Nouembris, semper ab hora nona vigiliarum, & subsequente solennitate. Item in parochiis, in quibus dedicationis dies obseruatur. Item in parochiis ecclesiarum, vbi propria festiuitas sancti celebratur. Et si quis deuote ad celebrationem sancti adueniat, pacem habeat eundo, & subsistendo, & redeundo. Item omnibus Christianis ad ecclesiam causa orationis euntibus pax in eundo & redeundo fit eis. Similiter ad dedicationes, ad Synodos, ad capitula venientibus, siue submoniti sint, siue per se quid agendum habuerint, fit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absoluendi causa ad episcopum confugerit, absolutus, eundo & redeundo pacem Dei & sanctæ ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit, episcopus inde iustitiam faciat. Verumtamen si quis arrogans pro episcopi iustitia emendare noluerit, episcopus regi notum faciat. Rex autem constringat malefactorem, vt emendet cui forisfecerit, scilicet primum episcopo, deinde sibi: & sic erunt duo gladii, & gladius gladium iuuabit.

## III.

Vbicumque regis iustitia, vel cuiuscumque sit placita tenuerit, si missus episcopi veniens illuc apparuerit causam sanctæ ecclesiæ, ipsa primitus terminetur: iustum est enim vt vbique Deus præ ceteris honoretur.

## IV.

Quicumque de ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam ecclesiasticam coactus non placitabit, quamuis forisfecerit, nisi (quod absit) in curia ecclesiastica rectum defecerit.